

Wa
264



C. J.
DISSERTATIO III.

De

NUMMIS

SEREN. SAXONIÆ

DUCUM,

LEGATI^{qva} DUCALIS

Distributionem

In Schola Altenburgensi

Die Parasceves A. cl^o Inc LXXIX.

instituendam

indicit

M. PAULUS MART. SAGITTARIUS,
Rector.

Altenburgi, Literis Richterianis.

esti
O-
no-
rus,
Dn.
iffi-
to-
na-
Pa-
do,
cri-
ne-
du-
tes
e de
par-

ap-
er-
tu-
e se
no-
eci-





Uodenarius, vulgari loqvendi modo GROSSUS, uberrimam differendi suggerit materiam his pagellis vix absolvendam. Non autem de eo *Grosso* mihi sermo erit, quem Majores nostri *aureum & densum* (Gulden und Dicken Groschen) appellare consueverunt unius Imperialis pretio æquivalentem, ut fufius, quando ad Thalerum, Deo favente, devenero, indicabitur: multo minus *Grossum Molarem*, alias *Schreckenbergerum*, aut qui duobus Sestertiis æstimatur, vulgo *Achzehener*/considerabo: nec ejus, qui cum *Senario* convenit, faciam mentionem, qui omnes *Grossi* nomen præ se ferunt: Sed in eo præsens occupabitur dissertatio, qui *duodecim Penningis Misnicis* hodie valet, *boni* (guten) & *Summi* (hohen) titulo quondam insignitus, ut inter ipsum & Senarium discrimen intercederet. Antiquitatem præ omnibus redolet *Grossus latus* (breite Groschen) quem A. 1350. in usu fuisse, Acta publica testantur. Num *Bracteatus* aut *Solidus*, nondum liquet. Si tamen locus conjecturæ, *Bracteatum* existimarem, qui tantæ quandoque latitudinis, ut dimidium Thalerum fere superet: quanquam etiam
Soli-

Solidum fuisse, vicina Bohemia fidem faciat, quæ jam tum A: 1290. sub imperio VVenceslai argento metalla miscere edocta, monetariis Florentia accersitis, ut Dubravius l. XVIII. Hist. Boh. f. 150. tradit.

Secundum ab hoc locum meretur *Wilhelminus antiquus* (alter *Wilhelms Groschen*) quem à *Wilhelmo I.* Coclite rem nummariam juxta Fabrit. l. VI. Orig. Sax. f. 673. restituente, Freibergæ A. 1390. formatum refert Mollerus in Annal. Freiberg. P. 67. Octoginta hujus monetæ *Grossi Marcam* (Sexagenā novam sive LX. *Grossus* pro illorum temporū computatione) pependerunt, continentes novem Lothones argenti & septem metalli, ut Georgius Agricola l. II. de Pondere monet. annotavit. In antiquis literis *Grossus Fribergensis moneta* allegatur, ut videre est in literis Senatus nostri die Thomæ A. 1397. datis, quibus contractum de locando ad triennium judicio oppidano, quod tunc penes Johannem Schultheisium, ratum esse jubet. Diversus plane ab hoc est *Wilhelminus à Wilhelmo III.* & nepotibus ex fratre Friderico Placido, *Ernesto & Alberto* conflatus, in cujus una facie parmula & galea Comitatus Provincialis Thuringiæ, cui duo cornua recurvis extremitatibus inhærent, quas ut & cornuum latera quinque utrinquē bacilli foliati ornant & verba sequentia: VV. D. G. DUCS SAX. TVR. L. MARC. MIS. 6s. quo anno rei monetariæ emendatio suscepta. In altera vero insigne & galea Ducatus Saxonici cum verbis circum

cumscriptis E. A. D. G. DUCS SAX. TVR. L.
MARC. MIS. Eadem quoque ad insignia & verba exhibet
Grossus A. 1467. cusus, nisi quod loco 65. extet 67. Verum
enim vero quid causæ, quod *Grossi* quidam *Wilhelmini*
cum præcedentibus per omnia congruentes A. 66. &
68. in eo ostendant latere, quod literæ E. A. comparent?
Quantum conjicio, *Grossi* A. 65. & 67. percussi au-
spiciis *Wilhelmi* tuere signati, & qui A. 66. & 68. *Er-*
nesti & Alberti voluntate, nisi dicere malis, inter Prin-
cipes nominatos ita convenisse, ut annum per vices
monetæ imprimerent. Neque sic dubium videtur sub-
latum; Vidi enim *Grossos*, in quibus 66. *Wilhelmi* ti-
tulo adjungitur; in aliis 67. & 69. post *Ernesti & Alber-*
ti nomina legitur. Inde in eam deveni opinionem, in
diversis officinis fuisse cufos. Quoad eorum appella-
tionem, *Scutati* (*Schildichte / zwey Schildichte*) à *Scuto*,
in literis Senatus nostri A. 1466. confectis vocantur: *Cen-*
suales (*Zinsgroschen*) à *censu*: *Argentei* (*Silbergro-*
schen) à materia, ex qua conflati, in Constitutione Pro-
vinciali *Ernesti & Alberti & Novi* (*nutwe*) in Privilegio
Ernesti & Alberti Civitati nostræ die *Michaëlis* A. 1470.
concreffo nominantur.

Propero ad *Grossum Cruciatum* (*Creutzgroschen*)
cujus autorem dissert. I. constitui *Fridericum Bellico-*
sum. Cujus copia mihi facta, *Grossus* una à parte figu-
ra Leonis erecti est notatus cum verbis: GROSSVS
MARC. MISNENSIS: & ab adversa forma Crucis tricuspida-
dalis

dalis cum quatuor literis URBR (Briberg) quatuor
crucis angulis adjectis. Peripheriæ sequentia leguntur
in sculpta: FRI. DEI. GRA. TURING. -- Pondere Se-
midrachmam cum parte dimidia æquiparat.

Sequuntur *Grossi*, quos à capite *Judæi pileato* *Juden-
hute* Germani salutabant. Caput autem insistit galeæ
Marchionum Misniæ, ad quos iudicio Speneri, viri ar-
tis Heraldicæ peritissimi, in insign. Ser. Famil. Sax. p. 45:
à Comitibus VVethinensibus devenit. Quemadmo-
dum igitur quidam *Grossorum* à scuto, cruce, gladiis
denominationem sunt sortiti: ita & hi à capite *Judæi*
pileato, quo galea conspicua, *Judenhute* dicuntur.
Cur autem *Caput* illud *Judæicum* vocitetur, disquisi-
tione non adeo indignum. Illustris viri Petrus Lambe-
cius, cui pro Tomis VII. Commentariorum Bibliothecæ
Vindobonensis hætenus editis prolixas grates debe-
mus, responsum suppeditare videtur ex Constitutio-
nibus Gvidonis, tit. S. Laurentii in Lucina Presbyteri
Cardinalis, in Synodo Provinciali Vindobonensi 4. Eid.
Maji A. 1267. promulgatis. Ita autem verba Constitu-
tionis T. II. Comment. f. 66. se habent: *Cum in tantum
insolentia Judæorum excreverint, ut per eos in quam-
plurimis Christianis jam dicatur infici puritas Catholi-
cæ sanctitatis, non tam nova condentes, quam sum-
morum Pontificum statuta vetera renovantes distinctè
precipimus, ut Judæi, qui discerni debent in habitu à
Christianis, CORNUTUM PILEUM, quæ quidem*

in istis partibus consueverunt deferre, & sua temeritate deponere presumerunt, resumant, ut à Christianis discerni valeant evidenter, sicut olim in Generali Concilio extitit diffinitum. Quicumque autem Judæus sine tali signo deprehensus fuerit incedere, à domino terræ pœna pecuniaria puniatur. Expedito nomine ad autorem progredior, qui *Wilhelmus III.* Friderici Bellicosi filius, ut ex circumferentia apparet insigni Landesbergensi hisque verbis conspicua, W. DEI GRACIA TURINGE. LANG. Interior facies obvertit Crucem, cui Leo impositus. Alterum latus galeam Misnensem cum capite Judæi pileato & verba sequentia exhibet: GROSSVS MARCH. MISNENSIS. In anno assignando dissentientes deprehendi Autores. Fabritius libro VII. Orig. Sax. fol. 754. ponit *trigesimum nonum* seculi decimi quinti; Mollerus in Ann. Freib. p. 86. *quadragesimum*, & Laur. Wilhelmi in descriptione urbis Cygnæ p. 196. nec non Tob. Schmidt in Ann. Cygn. p. 201. *quadragesimum quartum*, quem retinendum esse suppressum fratris Friderici Placidi nomen svadet; Nam anno trigesimo nono & sequenti quadragesimo provinciarum divisio nondum facta, neque fratrum animi in alia omnia distracti. In loco quoque dispares foveri sententias, cognovi. *Freibergæ* primum signatos Mollerus contendit; ast *Cygnæ* V Vilhelmi & Schmidius; conciliandi tamen, si diversis annis formatos asseras. *Viginti* ejusmodi *Grosso-*

rum

rum aureum constituisse Rhenanum, Fabrit. c. I. observavit. In literis Capituli B. Virginis Dissert. II. adductis gute nuwe schuldichte Groschen Friberger Münze appellantur.

Grossi Gladiati ut mentionem faciam, Mollerii relatione adducor. Ejus enim in Annal. Freib. p. 103. meminit, quod fratrum *Friderici & Wilhelmi* jussu Freibergæ A. 1457. signatus, eodem cum *Pileatis* gaudeat valore, aucto tamen ad 15. & 18 penningos, monetis minoris ponderis intrusis. Num similem Senario Gladiato figuram referat, iis accenseo, quæ res monetaria hucusque me voluit ignorare.

Succedat *Grossus Censualis* (*Zinsgroschen*) à censu, qui hoc monetæ genere Magistratui solvebatur, nomen habens. Argentæus item (*Silber Groschen*) ab argento purissimo, quod tunc temporis in fodinis Schnebergensibus erutum, dicitur. *Cygnæ* à *Friderico Sapiente, Alberto & Johanne* A. 1492. percussum, inscriptio docet. Pars enim anterior effigiem *Friderici* cum gladio humero dextro imposito monstrat, ut & verba insignibus Ducalibus distincta: FRID. A (*Ruta*) LB. JO. (*Leo Misnicus*) DVCSS [*Leo Thuringicus*] AXO. (*gladii Electorales*.) Posterior verò galeam Thuringicam & ad illius latera: 1492. cum verbis: GROSSVS NOVVS ZWICKAVI. Jidem A. 1496. Grossum conflare curarunt, non tamen pari cum priori bonitate. Unum latus habet gladios Electorales cum galea, & verba FRI, AL. JO. D. G. DV.

DVCES SAXONIE: alterum rutam cum galea, & verba: GROSSVS NOVVS DVCVM SAXONIE: 96. Teruntur quoq; hominum manibus alii iisdem literis & insignibus cum grosso jam allegato insignes, si exceperis annum in nullo eorum additum & vocem SAXONIAE. Quidam enim exhibent SAXON. alii SAXO: nonnulli SAXONIE, & non pauci, SAXONI. *Alberto*, Hectore Germanico, in Coenobio prope Emdam, Frisiae urbem, 12. Sept. A. 1500. febrili ardore extincto, filius *Georgius* una cum Agnatis *Friderico* & *Johanne* in grossis comparuit, quorum tres afferam quoad insignia & verba: GROSSVS NOVVS DVCVM SAXO. convenientes: Primus visui offert verba: FRI. GE. JO. D. G. DVCES SAX. Alter: FRI. JO. GE. D. G. DVCES SAXO. Tertius FRI. JO. GE. D. G. DVCES SAXO 1525. Cur in primo *Georgius* *Johanni* praelatus, altioris res est indaginis, nec meum definire. Num diversitas officinarum monetariarum nodum solvat, alii dijudicent, quibus Principum arcana exploratius innotuere.


Friderico Sapiente 5. Maji A. 1525. Lochaviae; hodie Annæburgi, fati munus implente, non leves inter Agnatos *Johannem* & *Georgium* de re nummaria movebantur contentiones, quæ tantum abest ut potuerint reprimi, ut potius majus subinde incrementum ceperint. Inde *σὺρραξίς* animorum & nova signandæ monetæ ratio, cui quisq; suum nomen & signum
inpri-

imprimebat. Huc digitum intendit Fabritius l. VII.
Orig. Sax. f. 870. *Tractari, ait, inter Duces Torga co-*
ptum est de moneta renovanda: sed cum non conve-
nirent Ducum Consilarii, non amplius signabatur
nota communi, sed suum quisque signum impresit.
Vera Fabritium scripsisse, sequentes *Grosfi* comprobant.
Unus Electoratus Saxonici in sine continet & in am-
bitu hæc, quæ sequuntur, verba: JOANNES ELE-
CTOR FIERI FECIT X. Ea vero facie, quæ Ducatus
Saxonie parmula, extant sequentia: MONETA
NOVA DVCIS SAXONIAE X. Quid X, in utro-
que hujus *Grosfi* latere velit, Oedipo opus est inter-
prete. Alter *Georgii* mandato cusus est. Prior illius
facies dat rutam cum galea & verbis: NAW. GR.
HERZOG, GEORG. ZV SAX. & secunda, Leonem
Misnicum galea ornatum & verba: NACH DEM
ALTEN SCHROT V. KORN 530. Lite inter *Geor-*
gium & Johannis filium Johannem Fridericum A. 1531.
feliciter composita *Grosfi* iterum cudebantur utri-
usque nomen exhibentes. Ex iis duos adducam. U-
num latus offert axiomaticæ Electoralis parmulam cum
verbis in extremitate: IOAN. FRID. ELECT. ET
GEOR. D. S. & alterum Rutam atque duos Leones
triangulari cum Ruta forma dispositos, verbis circum-
scriptis: MONE. NOVA EXCVSA ANNO 1534.
Alterius facies antica ostendit scutum Electorale
b & ver-

& verba: IOHAN. FRID. ELEC. DVX SAX. FI.
F: postica vero Rutam & Leones eodem situ cum
inscriptione: GEORGIUS DVX SAXO. FIE. F. 1535.
Patriam nacti sunt *Schnebergam*, quò officina mo-
netaria *Cynea*, A. 1534. delata, ut Wilhelmi p. 227.
tradit Hinc & appellati *Schnebergenses*, à vulgo
Schneber/ five *Schnieber/* teste Schmidio in Ann.
Cygn. p. 316.

Plura de *Grossis* angustum chartæ spatium non
capit. Capiet, si Deo visum, proxima dissertatio.
Cujus vero causa præsens prodierit dissertatiuncula, pro
more solito indicandum est. Horas diei hujus pome-
ridianas, *Legato Ducali* inter pauperes *Mutarum* alu-
mnos distribuendo amplissimi Scholarchæ destina-
runt, & quo testatior summæ in Scholam nostram
munificentia testaret memoria, vos, *Mufagetæ* bene-
voli, invitandos duxerunt. Confluite proinde hora
secunda. Et oculi & aures, quo delectentur, habe-
bunt: Illi spectando, hæ audiendo. Quid spectan-
dum, jam percepistis: Sed quid audiendum, nondum
constat. En habeatis! audietis JOHANNEM CHRI-
STOPHORUM LUDOVICI, Altenb. de *Testamen-
to CHRISTI* & Patris quondam Patriæ desideratis-
simi, FRIDERICI VVILHELMI II. mem. felic. disse-
rentem, suisque commilitonibus attentionem paran-
tem. Presso pede cum sequetur concivis FRIDE-
RI.

RICUS Schmidt/munificentiam Seren. Testatoris erga
Lyceum nostrum laudaturus. Hujus vestigiis
CHRISTIAN WILHELMI, Rochlicensis insitet
librorum utilitatem genere carminis Heroico evehen-
do & Ser. FRIDERICO debitas, grates pro clementia
in tabulis Agnati testamentariis confirmandis persol-
vendo. His alii adhuc se associabunt tempori inser-
vientes & acerbæ Christi Passionis memores; Nam
JOH. FRID. Viehweg/ Alt. *Geographiæ* in Historia
Passionis *utilitatem* declarabit. JOH. FRID.
Freiesleben/Orlamundanus, quantum emolumentum
Philologia ad eandem Passionis Historiam intelligen-
dam conferat, demonstrabit: SAL. AUG. Glauder/
Alt. *Christi sepulturam* sermone Elegiaco describet &
GOTHOFREDUS Meister/Alt. dictum Fr. Grana-
tensis: *Nulla est commodior meditationis materia,*
quam Dominica Passionis Historia, in morem Christiæ
tractabit. Tandem audietis JACOBUM GREL-
LERUM, Schmöllensem, vestræ in accedendo prom-
titudini inque audiendo patientiæ non re, sed verbis fa-
tis facientem. Valet! P. P. Altenburgi die Pa-
rasceves A. clō. Ioc, LXXIX.







nostri *aureu*
 appellare co
 valentem, ut
 devenero, in
 alias *Schreck*
 matur, vulgo
Senario co
Grossi nomen
 tur dissertati
 valet, *boni* (g
 signitus, ut in
 deret. Ant
latus (*breite*
 Acta publica
 nondum liq
atum existim
 dimidium T



ri loqvendi
 rimam disse-
 his pagellis
 n autem de eo
 vem Majores
 (den Groschen)
 pretio æqui-
 Deo favente,
 im *Molarem*,
 Sestertiis æsti-
 ejus, qui cum
 , qui omnes
 ens occupabi-
Misnicis hodie
 qvondam in-
 men interce-
 dolet *Grossus*
 nusu fuisse,
 aut *Solidus*,
 uræ, *Bracte-*
 latitudinis, ut
 qvam etiam
Soli-

